OFFICIA PROPRIA
DIŒCESEOS OSNABRUGENSIS
PARS HIEMALIS

Die 12 Decembris
S. VICELINI
Episcopi et Confessoris
Duplex 1040
IN I VESPERIS

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Vicelíni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Damasi I Papæ et Confessoris):

Ant. Dum esset Summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérnus, placátus inténde: et per beátum Dámasum Summum Pontíficem perpétua protectióne custódi, quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem.

Deinde Commemoratio Octavæ Conceptionis immaculatæ B. Maríæ Virginis:

Ant. Hódie egréssa est virga de radíce Jesse: hódie sine ulla peccáti labe concépta est María: hódie contrítum est ab ea caput serpéntis antíqui, allelúja.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. (Per eúndem Dóminum.)

Postea Commemoratio Feriæ.

In II Nocturno
Lectio iv

Vicelínus Mindénsi paræcia oriúndus, in villa pública; cui nunc nomen Hameln, anno fere millésimo

nonagésimo génitus est paréntibus morum magis honestáte quam carnis et sánguinis nobilitáte adornátis. Litterárum rudiméntis apud canónicos ejúsdem loci institútus, mox paréntibus orbus, ábiit Paderbórnam, ubi tanto fervóre tantáque instántia lítteris stúduit, ut paulo post, supercréscens sócios, factus sit magístri coadjútor. Inde Bremam vocátus, curándis scholis magíster ibídem præféctus est. Fuítque in scholis regéndis vir valde idóneus, curátor chori, erudítor júvenum, quos réddidit ártibus ingénuos atque in cultu Dei et frequéntia chori officiósos. At paucos post annos abdicávit se canonicátu ac scholis, et majórum grátia studiórum perréxit in Fránciam. Accépto ibídem sémine verbi Dei, jam tunc propósuit propter Deum austerióris vitæ vias ággredi, abdicáre scílicet carnis esum, cilício ad carnem operíri, cúltui divíno árctius applicári. Transáctis in Fráncia studiórum causa tribus annis, accédens ad sanctum Norbértum, tunc Magdeburgénsem præsulem, ejus notítia pérfrui et ad sacerdótii gradum promovéri méruit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

In pátriam revérsus Vicelínus, ferventíssimo zelo exæstuans ratúsque ad opus Evangélii se divínitus vocári, ádiit Adalberónem, Hamburgénsem archiepíscopum, qui legatiónem ei dedit in Slavórum gente atque in Falderénsi pago, in términis utriúsque provínciæ sito, Holsátiæ scílicet et Sláviæ, verbum Dei prædicándi et vice sua idololatríam exstirpándi. Incípiens ígitur habitáre in médio gentis agréstis et incúltæ, Vicelínus eo árctius divíno se commendábat præsídio, quo magis humáno destitútus erat solátio. Dedit autem ei Dóminus grátiam in conspéctu gentis illíus, insonuítque vox prædicatiónis ejus in omni Nordalbingórum província. Et infiníta plebis multitúdo de Wágria, Ploen et Oldenburg, de Holsátia, Stormária et Ditmércia ad audiéndum novum prædicatórem verbi divíni vitæque ætérnæ illuc advénit, recipiéndo pœniténtiam peccatórum. Pia sollicitúdine Vicelínus, Holsaténsium et Wagirórum apóstolus mérito cognominátus, circumjacéntes visitábat ecclésias, præbens pópulis mónita salútis, errántes córrigens, concílians dissidéntes, omnes ritus sacrílegos déstruens; misítque étiam in urbem Lubécam sacerdótes, qui salútem pópuli curárent.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Vestem religiósam cum régula sancti Augustíni Vicelínus derelínquere nolens, in pago Falderénsi monastérium cónstrui fecit, quod Neumünster exínde vocitátum fuit; multíque viri ecclesiástici sancto Vicelíno in órdine, régula, hábitu, sancta vita se copulábant. Póstmodum prope subúrbium Ségeberg áliud fundávit monastérium, novéllæ plantatiónis in Slávia seminárium, quod mox a latrónibus pénitus dírutum et igne consúmptum est. Tunc indústrios viros misit ad óppidum Högersdorf, qui oratório et claustrálibus officínis ibídem subrigéndis óperam darent; omníque stúdio Vicelínus enísus est, ut ecclésiæ locis opportúnis ædificaréntur, próvidens eis de Faldéra tam sacerdótes quam altáris utensília. Exínde Hartwícus, Hamburgénsis archiepíscopus, propósuit reædificáre sedem episcopálem Oldenburgénsem in Slávia, barbárico furóre olim destrúctam atque octogínta quátuor annos jam vacántem, quam magnus Otto primus institúerat; accersítum ígitur sacerdótem Vicelínum, ætáte jam provéctum, Oldenburgénsi sedi consecrávit epíscopum. Vicelínus epíscopus, licet gravi mox tactus ægritúdine, cœpit propónere bárbaris viam salútis, adhórtans eos, ut relíctis idólis suis festinárent ad lavácrum regeneratiónis. Ingravescénte morbo, diem clausit extrémum secúndo Idus Decémbris anno incarnáti Verbi millésimo centésimo quinquagésimo quarto. Sedit autem in episcopátu annis quinque, hebdomádibus novem. Corpus ejus tumulátum est in Falderénsi ecclésia.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo péregre, **de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.**

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Vicelíni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Ant. Ait Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus: ipsa cónteret caput tuum, allelúja.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. (Per eúndem Dóminum.)

Deinde Commemoratio Feriæ.

Vesperæ a Capitulo de sequenti (S. Lucia Virgine et Martyre), Commemoratio præcedentis:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Da, quæsumus, ut supra.

Deinde Commemoratio Octavæ, ut supra 1*, et Feriæ.

Die 28 Januarii

*S. CAROLI MAGNI IMPERATORIS

Fundatoris Episcopatus Osnabrugensis et Confessoris

Duplex

IN I VESPERIS

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

Deus, qui beátum Cárolum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne; Regis regum Jesu Christi, Fílii tui, fácias nos esse consórtes: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Joannis Chrysostomi Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris):

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Joánnes Chrysóstome, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Ecclésiam tuam, quæsumus, Dómine, grátia cæléstis amplíficet: quam beáti Joánnis Chrysóstomi Confessóris tui atque Pontíficis illustráre voluísti gloriósis méritis et doctrínis.

Deinde Commemoratio S. Petri Nolasci Conf.:

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et língua ejus loquétur judícium.

Oratio

Deus, qui in tuæ caritátis exémplum, ad fidélium redemptiónem sanctum Petrum Ecclésiam tuam nova prole fœcundáre divínitus docuísti: ipsíus nobis intercessióne concéde; a peccáti servitúte solútis, in cælésti pátria perpétua libertáte gaudére.

Postea Commemoratio Festi secundi S. Agnetis Virginis et Martyris:

Ant. Stans a dextris ejus Agnus nive candídior, Christus sibi Sponsam et Mártyrem consecrávit.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas: da, quæsumus; ut, quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Cárolus, Francórum rex, ab ineúnte ætáte córporis et ánimi heróicis dótibus ornátus, divínis obséquiis toto corde déditus, propter ingénii et rerum quas gessit præstántiam jure præcípuo Magnus cognominátur. Qui postquam patri Pipíno in regno succéssit, insígnes de Aquitánis, Saracénis, Langobárdis, Saxónibus, Aváris aliísque pópulis in Gállia, Itália, Hispánia, Germánia atque Pannónia victórias reportávit. Et dum regális poténtiæ gládio dominatiónem suam in tot pópulos, súbditos non oppréssos, exténdere nitebátur, gentíles simul, Evangélii propagándi zelo, a nefándis idololatríæ rítibus ad Christi veri Dei cultum salutárem convértere studébat. A sancto Leóne tértio Papa cum in præmium rerum præcláre gestárum tum in contínuum sanctæ Ecclésiæ et reipúblicæ christiánæ subsídium anno octingentésimo in festo Nativitátis Dómini dignitátem coronámque Imperatóris Románi accépit, dum pópulus Románus ipsi ceu Augústo a Deo coronáto acclamábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

In tanto potestátis fastígio constitútus, Cárolus filiáli pietáte et obœdiéntia sanctam Ecclésiam tamquam matrem suam semper honorábat, ac devótum Apostólicæ Sedis defensórem humilémque adjutórem se nominábat et exhibébat. De disciplína ecclesiástica et conservánda et instauránda summópere sollícitus, complúra Aquisgráni aliísque in locis concília celebrári fecit, et Ecclésiæ légibus civíles in Capituláribus suis accommodávit. Bonárum ártium scientiarúmque perpétuus erat æmulátor et fautor. Ecclesiástici cantus harmóniam ad usum qui exoléverat revocávit, hymnósque sacros magna ex parte conscribéndos curávit. Romam quater ádiit, tum ut Príncipum Apostolórum sacra límina venerarétur, tum ut sancti Petri successórem contra hostes ac rebélles adjuváret; sancti quoque Jacóbi celebérrimum in Hispánia sepúlcrum lustrávit. Ad augméntum christiánæ religiónis permúltas ecclésias atque monastéria exstrúxit, necnon complúres sedes episcopáles, et in his primam in Saxónia Osnabrugénsem, eréxit ac munificentíssime dotávit; beátum Wihónem Osnabrugénsi, aliósque áliis ecclésiis a se fundátis sanctíssimos præsules consentiénte Románo Pontífice præfécit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Índuit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Cultum divínum Cárolus in ædibus sacris assídue frequentábat, ideóque sacerdótes et epíscopi étiam peregrinántem semper comitabántur. In veste ac victu modéstiam et temperántiam exhibébat singulárem, in mensa lectórem audíre volébat; legebántur ei históriæ et antiquórum res gestæ; delectabátur et libris sancti Augustíni, præcipuéque his, qui de civitáte Dei prætituláti sunt. Judex justíssimus simul ac princeps mitíssimus a coævis appellátus, nullum umquam subditórum a potentióre ópprimi passus est. Amplíssima ejus in páuperes Christi cáritas tam imménsi impérii limítibus circumscríbi non póterat, immo egénis Christiánis étiam in Palæstína, Sýria, Africa copiosíssimis eleemósynis succurrébat. Máximam quoque partem facultátum suárum ecclésiis et paupéribus

testaménto legávit. Tandem méritis onústus, anno regni sui quadragésimo séptimo, impérii décimo quarto, ætátis vero septuagésimo secúndo, sacra Communióne percépta, quinto Kaléndas Februárii ad Dóminum felíciter emigrávit, et in basílica sanctíssimæ Dei Genitrícis ab ipso Aquisgráni magnificentíssime exstrúcta tumulátus est, anno Christi octingentésimo décimo quarto.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-26

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam, accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 8 in Lucam

Bonus ordo, ut vocatúrus gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret comparatiónem, ne dicerétur: Nihil déderat pópulo Judæórum, unde póterat mélior fíeri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non mediócris ista est mna, quam supra múlier evangélica, quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur inventam.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Dénique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus: ille duplícia, id est, mýstica legis et morália probitátis. Unde et Matthæus quinque talénta, et duo talénta pósuit: in quinque taléntis, ut sint morália; in duóbus utrúmque, mýsticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Pro S. Petro Nolasco:

Lectio ix

Petrus Noláscus, Recáudi prope Carcasónam in Gállia nóbili génere natus, adoléscens, paréntibus orbátus, Albigénsium hæresim éxsecrans, divéndito património, in Hispániam secéssit, ubi noctu oránti beáta Virgo appárens, Fílio suo sibíque acceptíssimum fore suggéssit, si ordo religiosórum instituerétur pro captívis ab infidélium tyránnide liberándis. Quare una cum sancto Raymundo de Péñafort et Jacóbo primo, rege Aragóniæ, de eádem re a Dei Genitríce ipsa nocte præmónitis, religiónem beátæ Maríæ de Mercéde redemptiónis captivórum instítuit; sodálibus quarto voto obstrictis, manéndi in pignus sub paganórum potestáte, si pro christiánis liberándis opus esset. Angeli custódis ac Deíparae Vírginis apparitiónibus sæpe recreátus, cum ad bonam senectútem pervenísset, piíssime óbiit média nocte vigíliæ Nativitátis Dómini, anno millésimo ducentésimo quinquagésimo sexto. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui beátum Cárolum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne; Regis regum Jesu Christi, Fílii tui, fácias nos esse consórtes: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commemoratio S. Petri Nolasci:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui in tuæ caritátis exémplum, ad fidélium redemptiónem sanctum Petrum Ecclésiam tuam nova prole fœcundáre divínitus docuísti: ipsíus nobis intercessióne concéde; a peccáti servitúte solútis, in cælésti pátria perpétua libertáte gaudére.

Deinde Commemoratio Festi secundi S. Agnetis:

Ant. Ecce, quod concupívi, jam vídeo; quod sperávi, jam téneo; ipsi sum juncta in cælis, quem in terris pósita, tota devotióne diléxi.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas: da, quæsumus; ut, quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Vesperæ a Capitulo de sequenti (S. Francisco Salesio Episcopo, Confessore et Ecclesiæ Doctore), Commemoratio præcedentis:

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra 8*.

Deinde Commemoratio S. Petri Nolasci:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio Deus, qui in tuæ, ut supra 8*.

Die 3 Februarii

S. ANSGARII

Episcopi et Confessoris

Duplex I classis

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter ea, quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Dabo géntibus * pastórem juxta cor meum, qui pascet eas sciéntia et doctrína.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum.

2 Suscitávi mihi * sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet et ambulábit coram Christo meo.

3 Vas áureum * in honórem est mihi Ansgárius, ut portet nomen meum coram géntibus et régibus.

4 Ansgári, * dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ.

5 Reges vidébunt, * et consúrgent príncipes, et adorábunt Dóminum.

Capitulum Is. 9, 2

Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis.

Hymnus

Ansgári, pater óptime,
Errántes nos in dévio
Reduc tuo munímine
Servans in Christi grémio.

Danis et Suécis grátiæ
Donum fidémque prædicas,
Pugil fortis in ácie,
Gentes Deo sanctíficas.

Notam facis incrédulis
Doctrínam evangélicam,
Lucem minístras pópulis,
Ducis in viam cælicam.

Bonus pastor fidéliter
Gregem pascis Domínicum,
Infórmans ut veráciter
Deum colat munificum.

Prudens talénta grátiæ
Cum lucri magnitúdine
Osténdis Regi glóriæ
Cæli in beatitúdine.

Deo Patri cum Fílio
Sit honor atque glória,
Æquális laus Paráclito
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Elégi te, ut eas et fructum áfferas. ℟. Et fructus tuus máneat.

Ad Magnif. Ant. Ut autem visum vidit, * statim quæsívit proficísci ad aquilónem, certus factus quod vocásset eum Deus evangelizáre ei.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem sacratíssimam nobis in beáti Ansgárii Confessóris tui atque Pontíficis gloriósa solemnitáte tribuísti: adésto propítius Ecclésiæ tuæ précibus; ut, cujus gloriátur méritis et doctrínis, muniátur suffrágiis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis (Purificationis B. M. V.) tantum:

Ant. Hódie beáta Virgo María púerum Jesum præsentávit in templo, et Símeon replétus Spíritu Sancto accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum in ætérnum.

℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto. ℟. Non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus: ut, sicut unigénitus Fílius tuus hodiérna die cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus; ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári. Per eúndem Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM

Invit. Summo Regi sæculórum jubilémus suáviter, Ejus laudes et Sanctórum * Concinámus páriter.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Tuis honóribus cóncinunt cælites:
Piis laudámus te précibus súpplices:
Læta sint ómnia, célebrent prædmia
Tanti labóris prétia.

Quo dilexísti nos stúdium nóvimus,
Eminet cáritas quærens nos míseros
Ut jure agámus nunc tibi grátias,
Ansgári sancte, máximas.

Dei Apóstolus, hostis erróribus,
Pastor fidélis te offers pro óvibus:
Sermo sit frúgifer, pastor et ópifer,
Quem seminásti lárgiter.

Cultor Deíparæ Vírginis cándidæ
Impetra auxílium matris dulcíssimæ
Ut nos ad prædmia cæli perénnia
Evehas post hæc prælia.

Trina te Déitas súpplices cólimus:
Sola salvíficas: salva nos, quæsumus,
Dénique cælicum dones quod cúpimus
Per sæcla cuncta, gáudium.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Evangelizábat * aquilóni, et dócuit multos confírmans ánimas discipulórum exhortánsque ut permanérent in fide.

Ant. Fiduciáliter agébat * in Dómino, testimónium perhibénte verbo grátiæ suæ, dante signa et prodígia fíeri per manus ejus.

Ant. Audiéntes gentes * verbum ejus gavísæ sunt et glorificábant Dóminum et credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam.

℣. Ad justítiam érudit multos. ℟. Quasi stella fulgébit in perpétuas ætérnitátes.

De Epístola sancti Pauli Apóstoli ad Romános

Lectio i **Cap. 1, 1-7**

Paulus, servus Jesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod ante promíserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndum carnem, qui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte secúndum Spíritum sanctificatiónis, ex resurrectióne mortuórum Jesu Christi Dómini nostri: per quem accépimus grátiam et apostolátum ad obœdiéndum fídei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus estis et vos vocáti Jesu Christi, ómnibus, qui sunt Romæ, diléctis Dei, vocátis sanctis: grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Jesu Christo.

℟. Annuntiávit inter gentes glóriam Dómini, in multis pópulis mirabília ejus; * Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis, terríbilis

est super omnes deos. ℣. Omnes dii géntium dæmónia, Dóminus autem cælos fecit. Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis, terríbilis est super omnes deos.

Lectio ii Cap. 1, 16-21

Non erubésco Evangélium. Virtus enim Dei est in salútem omni credénti, Judæo primum et Græco. Justítia enim Dei in eo revelátur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit. Revelátur enim ira Dei de cælo super omnem impietátem et injustítiam hóminum eórum, qui veritátem Dei in injustítia détinent: quia quod notum est Dei, maniféstum est in illis. Deus enim illis manifestávit. Invisibília enim ipsíus, a creatúra mundi per ea quæ facta sunt, intellécta conspiciúntur: sempitérna quoque ejus virtus et divínitas ita ut sint inexcusábiles: quia cum cognovíssent Deum, non sicut Deum glorificavérunt, aut grátias egérunt, sed evanuérunt in cogitatiónibus suis, et obscurátum est insípiens cor eórum.

℟. Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te, Dómine, et glorificábunt nomen tuum. * Non est símilis tui in diis, Dómine, et non est secúndum ópera tua. ℣. Quóniam magnus es tu et fáciens mirabília; tu es Deus solus. Non.

Lectio iii Cap. 10, 10-18

Corde créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? sicut scriptum est: quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obœdiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

℟. Jubiláte Deo, omnis terra, servíte Dómino in lætítia; * Introíte in conspéctu ejus in exsultatióne. ℣. Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos. Introíte. Glória Patri. Introíte.

In II Nocturno

Ant. Timor cécidit * super omnes, et magnificabátur nomen Dómini.

Ant. Disseminabátur * verbum Dómini per univérsas aquilonáres regiónes, crescébat fórtiter et confirmabátur.

Ant. Perambulábat Ansgárius * per totam plagam ad aquilónem, confírmans ecclésias, præcípiens custodíre præcépta Apostolórum.

℣. Potens in terra erit semen ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Lectio iv

Ansgárius, primus regiónum quæ ad septentriónes spectant apóstolus invictíssimus, jam ab ineúnte ætáte pie educátus, adhuc puérulus supérna visitatióne mónitus, ut omnes mundi vanitátes contémneret, in monastério Corbejénsi sancti Benedícti régulam mox profétssus est totúmque se in Dei amórem transfúdit, assídue oratióni, vigíliæ, et abstinéntiæ déditus. Accidit anno octingentésimo vigésimo sexto, ut Haráldus, princeps Danórum, solémniter baptizátus, péteret sacerdótes pro regno suo. Optime ab abbáte suo ut máxime idóneus commendátus Ansgárius una cum Haráldo profectus in Dániam cœpit constánter verbum Dei prædicáre, multíque ejus exémplo et doctrína ad Dóminum convertebántur. Cœpit quoque ex gente Danórum atque Suecórum nonnúllos púeros prétio redímere, quos ad Dei servítium educári curávit. Ansgárius ob crudélem persecutiónem, quam éthnici movérunt, aufúgere coáctus in monastérium Corbéjæ novæ revértitur. Cum legáti regis Suecórum christiánæ fídei doctóres in Suéciam veníre postulárent, Ansgárius onus prædicándi evangélium in Suécia lubénti ánimo suscépit, statímque ad civitátem Bircam in Suécia una cum Vitmáro profectus est. Ad ejus prædicatiónem multi Suecórum credidérunt in Christum et baptizáti sunt. Inter quos præféctus regis ínclytus Hérnigar, qui véluti alter Sebastiánus ádeo in suscépta fide flóruit, ut in æde sua, quam in ecclésiam consecrári fécerat, Christo assídue deservíret, eúmque, miraculórum étiam glória illustrátus, prædicáret.

℟. Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace et in æquitáte ambulávit mecum; * Et multos avértit ab iniquitáte. ℣. Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent de ore ejus. Et.

Lectio v

Suécis ad fidem convérsis multísque apud illos ecclésiis constructis, Ansgárius in Dániam revérsus ibi Erí-

cum de ímpio tyránno pium regem et Christi discípulum effécit. Romam profectus, et a Gregório Papa quarto benígne suscéptus, ab eo in epíscopum Hamburgénsis civitátis nec non in Legátum Apostólicum totíus septentriónis nominátus, deínde a Dragóne Meténsi epíscopo consecrátus est. Hambúrgo, ubi jam plures ecclésias et monastérium eréxerat, a pirátis vastáto, exsul antístes in illa verba erúpit: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit; sit nomen Dómini benedíctum. Auctoritáte Apostólica póstea étiam archiepiscopátum Bremensem administrávit, et non solum in Dánia presbýteros instítuit, plurésque ecclésias ædificávit, sed étiam pro Suécis curávit epíscopum consecrári: eóque secúndo profectus felicíssimo succéssu Evangélium prædicávit. Interim Bremam revérsus fidéliter episcopále munus suum exercébat, verbo et exémplo ad Dei cultum pópulum inducéndo viámque virtútis, quam in monastério cœperat, in episcopátu serváre studébat.

℟. Instans oratióni et ministério verbi, hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: * Quia erat vir bonus et plenus Spíritu Sancto. ℣. Et apponebátur multa turba Dómino. Quia.

Lectio vi

Hujus Pontíficis tanta erat sánctitas, ut eum reges honorárent, pastóres ecclesiárum magna veneratióne cólerent, clerus et pópulus admiraréntur. Miraculórum quoque grátia singuláris ad glóriam Dómini nostri Jesu Christi, et confirmatiónem cathólicæ fídei inter gentes eídem a Deo collâta fuit. Nam oratiónibus suis et ólei sacri unctióne plúrimos a divérsis morbis et languóribus sanábat. Unde certátim ad eum confluébant infírmi medicínam peténtes, et sanitátem íntegram recipiéntes. Tandem cum trigínta tribus annis episcopátus onus portásset, circa finem anni octingentésimi sexagésimi quarti cœpit morbo gravi laboráre, et per quátuor menses et ámplius gravíssimos álacri ánimo, et Deo grátias agens pértulit dolóres. Licet tam attrítus et consúmptus esset, ut pæne jam de córpore nihil præter nervos et ossa remanéret, tamen in Dei láudibus persevérans, invíctum ab oratióne ánimum non relaxábat, sicque óculis in cælum inténtis, anno ætátis suæ sexagésimo quarto, salútis vero octingentésimo sexagésimo quinto postrídie festum Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis ingéminans illa verba: Secúndum misericórdiam tuam meménto mei, propter bonitátem tuam, Dómine; in manus tuas comméndo spíritum meum, placidíssime obdormívit in ósculo Dómini.

℟. Messis quidem multa, operárii autem pauci: * Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. ℣. Leváte óculos vestros et vidéte regiónes, quia albæ sunt jam ad messem. Rogáte. Glória Patri. Rogáte.

In III Nocturno

Ant. Servívit Dómino * cum omni humilitáte et lácrimis et tentatiónibus, quæ ei accidérunt ex insídiis gentílium.

Ant. Docébat públice * et per domos, testíficans géntibus in Deum pœniténtiam et fidem in Dóminum Jesum Christum.

Ant. Consummávit cursum * suum et ministérium verbi quod accépit a Dómino Jesu testificári evangélium grátiæ Dei.

℣. Dóminus dedit voci ejus vocem virtútis. ℟. Date glóriam Deo super Israel.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 16, 15-20

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 29 in Evang. post initium

Potest omnis creatúræ nómine omnis nátio géntium designári. Ante enim dictum fúerat: In viam géntium ne abiéritis; nunc autem dícitur: Prædicáte omni creatúræ: ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. Pósui os tuum quasi gládium acútum, in umbra manus meæ protéxi te; * Et pósui te quasi sagíttam eléctam. ℣. Ansgári, servus meus es tu, quia in te gloriábor. Et.

Lectio viii

Neque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur: Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéri-

bus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. Ansgári, dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ: * Reges vidébunt et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum. ℣. Ego elégi te ut eas et fructum áfferas, et fructus tuus máneat. Reges. Glória Patri. Reges.

Lectio ix

Signa autem eos qui creditúri sunt, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda: quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse vidéamus: et si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
et per Horas

Ant. 1 Vir justus * atque perféctus fuit, et cum Deo ambulávit.

Psalmi de Dominica 1 loco.

2 Miráti sunt * in illo multi, et honoravérunt Deum.

3 De omni corde * suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum qui fecit illum.

4 In omni ópere * dedit confessiónem Sancto et Excélso in verbo glóriæ.

5 Dóminus erat * cum illo, et ómnia ópera ejus dirigébat.

Capitulum Isai. 9, 2

Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis.

Hymnus

In ætáte juventútis
Crevit cum Ansgário
Decus morum, lux virtútis,
Dei benedíctio.

Factus frater monachórum
Per virtútes flóruit;
Ad exémpla Supernórum
Totum se compósuit.

Pro pagánis Christo addéndis
Férvida devótio
Cor accéndit: edocéndis
Semper ardet stúdio.

Profert verbum vox divína
Radiándo cælitus
Ut procédant in doctrína
Et virtúte spíritus.

Ludovícus imperátor
Adjuvat Ansgárium
Ut sit Danis legislátor
Docens Evangélium.

Cæli spargit ex thesáuro
Veritátis grátiam,
Ex doctrínæ profert auro
Fídei constántiam.

Primo Danis, tunc et Suécis
Christi verbum prædicat
Nec tardátur metu necis,
Dum mandáta dédicat.

Jesu Christo per doctrínam
Fílios multíplicat;
Affert ægris medicínam,
Dóminum gloríficat.

Genitóri, Filióque
Honor sit et glória;
Procedénti ab utróque
Compar laus in sæcula.
Amen.

℣. Erúmpet quasi mane lumen tuum. ℟. In ténebris orta est lux tua.

Ad Bened. Ant. Atténdit sibi Ansgárius * et univérso gregi, in quo eum Spíritus Sanctus pósuit Epíscopum régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem sacratíssimam nobis in beáti Ansgárii Confessóris tui atque Pontíficis gloriósa solemnitáte tribuísti: adésto propítius Ecclésiæ tuæ précibus; ut, cujus gloriátur méritis et doctrínis, muniátur suffrágiis. Per Dóminum.

De S. Blasio Episcopo et Martyre, nihil fit.

AD TERTIAM

Capit. Pópulus, ut supra 16*.

℟. br. Anteíbit fáciem tuam * Justítia tua. Anteíbit. ℣. Et glória Dómini cólliget te. Justítia. Glória Patri. Anteíbit.

℣. Oculus fui cæco. ℟. Et pes claudo.

AD SEXTAM

Capit. 1 Cor. 2, 4

Sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum sed in virtúte Dei.

℟. br. Oculus fui cæco * Et pes claudo. Oculus. ℣. Pater eram páuperum. Et. Glória Patri. Oculus.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini. ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus.

AD NONAM

Capit. 1 Cor. 2, 12-13

Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus, sed spíritum, qui ex Deo est, ut sciámus, quæ a Deo donáta sunt nobis: quæ et lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína Spíritus.

℟. br. Annuntiáte inter gentes * Glóriam Dómini. Annuntiáte. ℣. In ómnibus pópulis mirabília ejus. Glóriam. Glória Patri. Annuntiáte.

℣. Omnes dii géntium dæmónia. ℟. Dóminus autem cælos fecit.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Discípuli ejus * repléti sunt gáudio et Spíritu Sancto.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum, sed loco ultimi dicitur Ps. 131 Meménto, Dómine, ut in II Vesperis de Communi Confessoris Pontificis.

2 Magna fecit * Deus cum Ansgário, et apéruit géntibus óstium fídei.

3 Ansgárius * non solum alligári, sed et mori parátus fuit propter nomen Dómini Jesu.

4 Bonum certámen * certávit, cursum consummávit, fidem servávit.

5 Repósita est * ei coróna justítiæ, quam réddidit ei Dóminus, justus judex.

Capitulum Isai. 9, 2

Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis.

Hymnus

O Ansgári, dux tuórum
Mali coram ácie,
Salve, Apóstole Danórum,
Salve, lux Suéciæ.

Heu, quot ánimas diléctas
Pérdidit hæréticus,
En ecclésias eréctas
Quot vastávit fúnditus!

Redi, pastor, ad oníle
Vertens Christi fáciem;
Erue quidquid est gentíle,
Lupórum age rábiem.

Dulcis pater, unitátem
Nobis rursum réferes:
Da cum fide caritátem
Ut sit plena réquies.

Post peráctum peregrínæ
Hujus vitæ prælium,
Monstra nobis sine fine
Dei nostri gáudium.

Genitóri, Filióque
Concors jubilátio,
Procedénti ab utróque
Eadem laudátio. Amen.

℣. Confiteántur tibi pópuli, Deus. ℟. Confiteántur tibi pópuli omnes.

Ad Magnif. Ant. Omnia sustínuit * propter eléctos ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu cum glória cælésti.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem sacratíssimam nobis in beáti Ansgárii Confessóris tui atque Pontíficis gloriósa solemnitáte tribuísti: adésto propítius Ecclésiæ tuæ précibus; ut, cujus gloriátur méritis et doctrínis, muniátur suffrágiis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio sequentis (S. Andreæ Corsini Episcopi et Confessoris):

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum: da pópulo tuo beáti Andréæ Confessóris tui atque Pontíficis ita sequi vestígia; ut assequátur et prǽmia. Per Dóminum.

℣ In Festis novem Lectionum a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis occurrentibus dicitur IX Lectio de Homilia Feriæ currentis, et de ea fit Commemoratio in Laudibus et Vesperis, ante Commemorationem Festi Simplicis forte occurrentis.

Die 13 Februarii
* S. GOSBERTI
Episcopi
Osnabrugensis et Martyris
Duplex

IN I VESPERIS

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Gosbérti Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis (Ss. septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., Confessorum):

Ant. Nomen eórum pérmanet in ætérnum, pérmanens ad fílios eórum, sanctórum virórum glória.

℣. Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. ℟. Semen eórum et glória eórum non derelinquétur.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui ad recoléndam memóriam dolórum sanctíssimæ Genitrícis tuæ, per septem beátos Patres nova Servórum ejus família Ecclésiam tuam fœcundásti: concéde propítius; ita nos eórum consociári flétibus, ut perfruámur et gáudiis. (Qui vivis et regnas).

Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno, si dicendæ non sint de Scriptura, Lectiones A Miléto, ut in Communi unius Martyris.

In II Nocturno

Lectio iv

Beátus Gosbértus ecclésiæ Osnabrugénsis quartus episcopus fuit. Qui, cum sanctus Ansgárius, præstantíssimus Suecórum aliorúmque populórum Apóstolus,

Evangélium prædicáret, ejus discípulus et insígnis collaborátor erat in converténdis pagánis. Vir pius ac doctus necnon sánguinem suum pro fide Christi profúndere anhélans, postquam e gente Suecórum, ubi ordinátus erat, cum persecutióne ejéctus est, episcopátum Osnabrugénsem sanctitáte magis quam bonórum temporálium sollicitúdine pastor bonus administrávit. Multis tandem in episcopáli múnere labóribus perfúnctus, bonis opéribus plenus, ærúmnis tolerátis Martýribus símilis, vitam beátam in terris actam beatióre morte coronávit, anno salútis reparátæ octingentésimo septuagésimo quarto.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

De Expositióne sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum

Lectio v Sermo 21

Príncipes persecúti sunt me gratis: et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat: qui nihil rapúerit, nullum violéntus oppresserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum: qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia; qui loquátur juste, et non audiátur; qui loquátur plena salútis, et impugnétur, ut possit dícere: Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine; impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis; impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum píetas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi

Vere frustra impugnátur, qui apud ímpios et infídos impietátis arcéssitur, cum fídei sit magíster. Verum qui gratis impugnátur, fortis debet esse et constans. Quómodo ergo subtéxuit: Et a verbis tuis trepidávit cor meum? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salútem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: et, Beátus vir, qui timet Dóminum. Qua

ratióne beátus? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Si quis venit ad me, de eodem Communi 1 loco; et dicitur ℟. VIII Dómine, prævenísti eum.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Gosbérti Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Vesperæ a Capitulo de sequenti (S. Adolpho Episcopo et Confessore), Commemoratio præcedentis, in Quadragesima Feriæ, ac S. Valentini Presbyteri et Martyris.

*

Die 14 Februarii

*S. ADOLPHI

Episcopi Osnabrugensis et Confessoris

Duplex (m. t. v.)

IN I VESPERIS

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Adólphi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Gosberti Episcopi et Martyris):

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio Infirmitátem, ut supra.

Deinde, post Commemorationem Feriæ in Quadragesima, Commemoratio S. Valentini Presbyteri et Martyris:

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad

mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminum.

In I Nocturno, si dicendæ non sint de Scriptura, Lectiones Fidélis sermo, ut in Communi Confessoris Pontificis.

In II Nocturno

Lectio iv

Adólphus, Simónis cómitis Teklenburgénsis fílius, a prima ætáte pietáti addíctus, clericáli státui adscríbi vóluit. Cum autem ad célebre monastérium órdinis Cisterciénsis, Campum beátæ Maríæ Vírginis véterem dictum prope Rhenum quondam venísset, et post Missam in oratório staret, vidit mónachos ad síngula accedéntes altária humilitérque confiténtes peccáta nudáre dorsa ad suscipiéndas disciplínas. Quod spectáculum tantum boni in corde adolescéntis operátum est, ut discédere ex monastério nolúerit, sed sæculi pompam contémnens et totum se ad Deum convértens ibídem mánserit, religionísque sacrum hábitum suscéperit. Mónachus factus, in piis obséquiis et divinárum rerum contemplatióne vivébat, ac tantum mox profécit, ut non multo témpore post tum propter nobilitátem tum propter sanctimóniam ad regéndam ecclésiam Osnabrugénsem evocátus et epíscopus consecrátus sit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea auxiliábitur ei.

Lectio v

Venerábilis præsul, Sedis Osnabrugénsis duodetricésimus, tam divínis quam sæculáribus áctibus cláruit, doctrína, fervóre, prudéntia exornátus pedum gestávit, multa bona et salutária in ecclésia et diœcési Osnabrugénsi perfécit. Fundatiónem ad festum sanctæ Catharínæ in Cathedráli templo solémniter celebrándum approbávit, ejúsdem templi thesauráriam valde auxit, cantóriam instítuit, altáre sanctórum Crispíni et Crispiniáni consecrávit. Collegiatárum ecclesiárum canónicos omnes ab exuviárum solutióne líberos declarávit, forénsem ecclésiam beátæ Maríæ Vírgini sacram cum banno totíus civitátis Osnabrugénsis capítulo suo líbera donatióne incorporávit, archidiaconórum, quos in partem pastorális sollicitúdinis vocáverat, potestátem dilatávit. Decessóris sui donatiónem, qua monastério in Hérzebrock jus archidiaconále collátum erat, ratam hábuit et confirmávit, monastériis Malgardénsi, Iburgénsi, sanctæ Gertrúdis in monte prope Osnabrúgum amícus et benéficus, cœnobiórum jura acérrimus semper vindex strénue defendébat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

In omnes ecclésias, præsértim vero in capítulum et minístros ecclésiæ beátus Adólphus erat muníficus, páuperes leprosósque fovébat, miserábiles non dedignabátur visitáre. Et postquam ecclésiæ Osnabrugénsi octo fere annos præfuit, anno millésimo ducentésimo vigésimo quarto, prídie Kaléndas Júlii, natúræ débitum persólvit, multósque meritórum manípulos in cælum íntulit, mira sanctitátis opinióne in terris relícta. In ecclésia Cathedráli cónditus, étiam pósteris tempóribus in præcípuo semper honóre a Christifidélibus hábitus est, fuítque sepúlcrum ejus gloriósum. Anno autem Christi millésimo sexcentésimo quinquagésimo primo Francíscus Wilhélmus, epíscopus Osnabrugénsis, pietáte in beátum prædecessórem motus, ipsíus sepúlcrum quarto Nonas Decémbris præsénte Cathedráli templi capítulo multísque fidélibus aperíri et sacra ossa invénta elevári atque in theca débito cum honóre repóni jussit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigiláte, de eodem Communi 2 loco.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Adólphi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

Post Commemorationem Feriæ in Quadragesima fit Commemoratio S. Valentini:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra ad Laudes 23*.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Et, post Commemorationem Feriæ in Quadragesima, fit Commemoratio sequentis (Ss. Faustini et Jovitæ Martyrum):

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Faustíni et Jovítæ solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Adolphi Ep. Osnabrugen. et Conf., duplex. 14 Februarii	21*
Ansgarii Ep. et Conf., duplex I classis. 3 Februarii	9*
Caroli Magni Imperatoris, Conf., duplex. 28 Januarii	4*
Gosberti Ep. Osnabrugen. et Mart., duplex. 13 Februarii	19*
Vicelini Ep. et Conf., duplex. 12 Decembris	1*

℣ Juxta declarationem S. Rituum Congregationis diei 28 Aprilis 1914 asterisco * notantur Sancti, qui neque in Martyrologio Romano descripti sunt neque publico cultu a Sancta Sede certe decreto vel confirmato potiuntur, sed ex immemorabili consuetudine tantum publico ac religioso cultu honorantur.

SUPPLEMENTUM

Officia nonnullorum Ss. Patronorum in Ecclesiis eorum propriis

Festum Tituli seu Patroni in Ecclesia propria celebratur sub ritu duplici I classis cum Octava communi. Quare in ipso Festo omnia dicuntur de respectivo Communi præter ea, quæ Festum habet propria; infra Octavam vero et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo, præter Lectiones I et II Nocturni, quæ in I Nocturno, nisi, Lectionibus de Scriptura deficientibus, sumi debeant de Festo aut de Communi, dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II Nocturno vero semper de Communi.

Quodsi Festum Tituli seu Patroni Ecclesiæ impeditum fuerit etiam perpetuo, transferatur in primam sequentem diem non impeditam a Dominica quavis vel Vigilia Epiphaniæ, ab alio Festo duplici I vel II classis, vel ab Officiis ejusmodi Festum respective excludentibus.

Festa autem duplicia majora vel minora aut semiduplicia, quæ in universa Ecclesia celebrantur, si accidentaliter vel perpetuo impedita fuerint per Festum Patroni Ecclesiæ vel ejusdem diem Octavam, non transferuntur, sed de eis fit Commemoratio juxta Rubricas; et si Festum impediens fuerit ipse dies festus Patroni, de Officio impedito fit Commemoratio tantum in Laudibus et in Missis privatis, et non legitur IX Lectio; si vero Festum aliquod impediatur per diem Octavam Patroni, de Officio impedito fit Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus, et legitur IX Lectio historica. Idem servatur de Festis propriis Diœceseos duplicibus majoribus vel minoribus aut semiduplicibus, quæ pariter, si in aliqua particulari Ecclesia per Festum Patroni ejusve diem Octavam suo die fuerint impedita, commemorantur ut supra.

Dies autem Octava Patroni Ecclesiæ tam in occursu quam in concursu cedit cuilibet Dominicæ.

De Octavis Patronorum, quæ non sunt in Breviario Romano, nihil fit a die 17 ad 24 Decembris, a Feria IV Cinerum ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes ad Festum Sanctissimæ Trinitatis, semper inclusive.

Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis habendum est pro Titulari Ecclesiæ, quæ titulo gaudet ejusdem B. M. V., absque adjuncta denominatione alicujus Mysterii, de quo Festum speciale celebratur.

Die 4 Decembris

S. BARBARÆ

Virginis et Martyris

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Virginum præter ea, quæ hic habentur propria.

De S. Petro Chrysologo Episcopo Confessore et Ecclesiæ Doctore fit Commemoratio tantum in Laudibus, et non legitur IX Lectio historica.

Oratio

Intercéssio, quæsumus, Dómine, beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ ab omni nos adversitáte prótegat: ut per ejus intervéntum gloriosíssimum sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi sacraméntum ante diem éxitus nostri per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur. Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno, Lectiones De virgínibus, de Communi 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Bárbara, virgo Nicomediénsis, Dióscori nóbilis sed superstitiósi hóminis fília, per ea quæ visibília facta sunt ad invisibília, divína opitulánte grátia, fácile pervénit. Quaprópter soli Deo rebúsque divínis vacáre cœpit. Eam pater, útpote forma venustióri niténtem, a quocúmque virórum occúrsu tutári cúpiens, turri inclúsit, ubi pia virgo meditatiónibus et précibus addícta, soli Deo, quem sibi in sponsum delégerat, placére studébat. Obláta a patre plúries nobílium connúbia fórtiter sprevit. Pater vero per sui abséntiam fíliæ ánimum posse facílius emollíri confídens, jussit primo bálneum éxstrui, ne quid ei deésset ad commoditátem, deínde péregre in éxteras regiónes proféctus est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

Absénte patre, jussit Bárbara duábus fenéstris, quæ in turri erant, tértiam addi in honórem divínæ Trinitátis, labiúmque bálnei sacrosánctæ crucis signo muníri: quod ubi rédiens Dióscorus inspéxit, audíta novitátis causa, ádeo in fíliam excánduit, ut stricto ense eam ápetens parum abfúerit, quin

eam dire confóderet: sed præsto áffuit Deus; nam fugiénti Bárbaræ saxum ingens se patefáciens viam apéruit, per quam montis fastígium pétere, sicque in specu latére pótuit: sed paulo post, cum a nequíssimo genitóre repérta fuísset, ejus látera pédibus, dorsúmque pugnis immániter percússit, et crínibus per loca áspera difficilésque vias raptátam Marciáno præsidi puniéndam trádidit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

Itaque ab ipso ómnibus modis sed incássum tentátam, nudam nervis cædi, et inflícta vúlnera téstulis confricári, deínde in cárcerem trahi præcépit: ubi imménsa luce circúmdatus ei Christus appárens mirífice confortátam in passiónum tolerántia confirmávit: quod animadvértens Juliána matróna, ad fidem convérsa, ejúsdem palmæ párticeps effécta est. Bárbaræ demum férreis únguibus membra laniántur, fácibus látera incendúntur, et malléolis caput contúnditur: quibus in cruciátibus consórtem solabátur et hortabátur, ut ad finem usque constánter certáret. Præcísis tandem utrísque ubéribus, nudæ per loca pública tractæ cápite plectúntur, filiáeque cervícem ipse scelestíssimus pater humanitátis expers própriis mánibus amputávit: cujus fera crudélitas non diu inúlta remánsit; nam statim eo ipso in loco fúlmine percússus intériit. Caput hujus beatíssimæ Mártyris in oratório ad Sancta sanctórum honorífice servátur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum, de eodem Communi 1 loco.

Die 13 Decembris

S. JODOCI

Confessoris

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ hic habentur propria.

De S. Lucia Virgine et Martyre fit Commemoratio tantum in Laudibus, et non legitur IX Lectio historica.

Oratio

Deus, qui beátum Jodócum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne; Regis regum Jesu Christi, Fílii tui, fácias nos esse consórtes: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno Lectiones Beátus vir, de Communi 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Jodócus, regáli e stirpe in Anglia natus, a fratre Rodichaéle, qui regnum et pátriam relínquere ac vitam monásticam dúcere meditabátur, de suscipiénda regni gubernatióne admónitus est. Verum æque ac frater fervens divína dilectióne, octo diérum indúciis ad deliberándum impetrátis, die noctúque ánxie cogitáre cœpit, quómodo relínquere posset et regnum et pátriam. Ipso ígitur in monastério Lammailonénsi moram faciénte et oratióni frequéntius vacánte, cóntigit, ut quidam peregríni illac præterírent Romam peténtes. Hos ítaque secréto insecútus, venit Parísios: hæsitans autem an ultérius progrederétur, consílium a Deo precátus, relíctis itíneris comítibus, ad Pontíni festinávit confínia, et ad flúvium Alteíam morári constítuit. Sed Haymóne duce óbviam ei facto, a propósito exsequéndo annis septem retardátus est: quo témpore sacros órdines suscépit. Elápso autem septénnio, ad vitam tránsiens solitáriam, mansit in loco, qui dícitur Brahic, ibíque ecclésiam et domúnculam ædificávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Quadam autem die, cum ad victum quotidiánum non habéret nisi panem módicum pro se et discípulo suo Wulmáro, et Dóminus in spécie páuperis quater apparuísset eleemósynam petens; vir Dei panem dívidi jussit in quátuor partes, earúmque unam síngulis vícibus eídem erogári. Cui ait Wulmárus: Nihil nobis vis reserváre, pater? Volo, inquit vir sanctus, totum tríbui esuriéntibus, quia potens est Dóminus étiam hódie nostræ providére necessitáti. Vix díxerat, et ecce, per fenéstram visæ sunt in flúminis álveo quátuor navículæ, cibáriis onústæ. Quæ de Jodóci sanctitáte narrabántur, mox totam longe latéque ita commovérunt regiónem, ut, ad eum viséndum et imploránda ipsíus suffrágia, plúrimi concúrrerent. Quod cum diútius sustinére non

posset, post octo annos ultérius procéssit in desértum, cónstruens oratórium in honórem beáti Martíni loco qui dícitur Rimácus, ubi plúrimas insídias ab hoste antíquo per quatuórdecim annos sustínuit: quaprópter, Haymóne duce, vastam ingréssus est erémum, ut in ea inveníret habitatiónis locum.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Progréssus inde versus mare, in vallícula umbrósa duo lígnea mánibus própriis constrúxit oratória, unum sancto Petro Apostolórum Príncipi, álterum sancto Paulo géntium doctóri. Deínde proféctus est Romam ex mandáto Vitaliáni Summi Pontíficis; unde cum pretiosíssimis Sanctórum relíquiis, a Pontífice sibi donátis, revérsus est ad Pontíni confínia. Innúmera cleri plebísque catérva in occúrsum veniénte una cum Haymóne, sacras relíquias vir sanctus reverénter depósuit in nova beáti Martíni ecclésia, quam præfátus dux ex lápide instauráverat. Exínde in sanctitátis via alácriter proficiens Jodócus, in carne præter carnem vivens, Angelus esse videbátur, non homo; qui tandem cúpiens dissólvi et esse cum Christo, Idibus Decémbris anno círciter sexcentésimo sexagésimo octávo obdormívit in Dómino, Angelórum comitátu a Christo dedúctus in cælos.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri, de eodem Communi 1 loco.

Die 19 Januarii
S. CANUTI
Regis, Martyris

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi unius Martyris præter ea, quæ hic habentur propria.

De Ss. Mario, Martha, Audiface et Abachum Martyribus nihil fit.

Oratio

Deus, qui ad illustrándam Ecclésiam tuam, beátum Canútum regem martýrii palma et gloriósis miráculis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut, sicut ipse Domínicæ passiónis imitátor fuit, ita nos per ejus vestígia gradiéntes, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Per eúndem Dóminum nostrum.

In I Nocturno Lectiones Fratres: Debitóres, de Communi plurimorum Martyrum cum Responsoriis de Communi unius Martyris.

In II Nocturno

Lectio iv

Canútus quartus, Suenónis Esthrítii Danórum regis fílius, fide, pietáte et morum honestáte conspícuus, exímiæ sanctitátis a téneris annis spécimen dedit. Patérnum sceptrum summa ómnium acclamatióne adéptus, religióni promovéndæ sédulo incúmbere, ecclésias redítibus augére, et pretiósa supelléctili ornáre cœpit. Tum zelo propagándæ fídei succénsus, bárbara regna justo certámine aggréssus, devíctas subditásque natiónes christiánæ legi subjugávit. Victóriis autem plúrimis gloriósus, et divítiis auctus, regále diadéma ad Christi crucifíxi pedes abjécit, se et regnum illi subjíciens, qui Rex regum est, et Dóminus dominántium. Corpus suum jejúniis, cilíciis et flagéllis castigávit. In oratióne et contemplatióne assíduus, erga páuperes profúsus, erga omnes benéficus semper fuit: nec umquam a justítiæ divinæque legis sémita defléxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v

His aliísque virtútibus imbútus, ad suprémum perfectiónis ápicem sanctus rex properábat. Accidit autem ut Angliæ regnum a Wilhélmo, Normannórum duce, formidábili exércitu invaderétur. Anglis vero, Danórum opem implorántibus, cum succúrrere rex decrevísset, belli expeditiónem Oláo fratri commísit. Qui regnándi cupiditáte illéctus, arma vertit in regis perníciem, milítibus et pópulo contra illum concitátis. Nec defuérunt rebellióni foménta. Cum enim rex, éditis légibus, décimas ecclésiis solvi, Dei et Ecclésiæ præcépta servári, transgressóres puníri sanxísset, plerique pervérsi ac sceleráti hómines exacerbáti, primum quidem tumultuári, tum plebem commovére, ac tandem sanctíssimo regi necem molíri cœpérunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi

Sciens ígitur rex, futurórum præscius, mortem sibi propter justítiam imminére;

ea prænuntiáta, ad ecclésiam sancti Albáni Mártyris Othóniæ, tamquam ad locum certáminis, profóctus est: et sacraméntis munítus, agónem suum Dómino commendábat. Mox ibi advéniens conjuratórum multitúdo, ecclésiæ ignem admovére, fores confríngere et in eam irrúmpere tentárunt. Quod cum perfícere non possent, ad fenéstras accedéntes, saxa et sagíttas in sanctum regem, flexis génibus pro inimícis oránte, magno ímpetu jaculári non cessárunt: donec lápidum et telórum íctibus, ac tandem láncea confóssus, glorióso martýrio, ante altáre extensis bráchiis procúmbens, coronátus est, sedénte in apostólico throno Gregório séptimo. Multis póstea miráculis Mártyrem suum illustrávit Deus. Nam gravi penúria et divérsis calamitátibus opprássa Dánia, patráti sacrilégii pœnas luit. Plures étiam váriis languóribus afflícti, ad ejus túmulum remédium et incolumitátem consecúti sunt. Cumque regína sacrum ejus corpus noctu clam surrípere, et álio transférre conarétur, emísso cælitus ingénti splendóre pertérrita, a propósito cessávit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolíte arbitrári, de Communi unius Martyris 3 loco.

Die 22 Januarii
S. VINCENTII
Levitæ et Martyris
Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi unius Martyris præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut, qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Vincéntii Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

In I Nocturno Lectiones Fratres: Debitóres, de Communi plurimorum Martyrum cum Responsoriis de Communi unius Martyris.

In II Nocturno e Lectionibus IV et V, quas de S. Vincentio habet Breviarium Romanum hac die, fiunt tres ita, ut IV Lectio claudatur verbis: Valéntiam addúcitur, V Lectio vero incipiatur verbis: Ubi verbéribus, et finiatur verbis: ad Daciánum defértur; et adhibentur Responsoria de Communi unius Martyris.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolíte arbitrári, quia pacem, de eodem Communi 3 loco.

De S. Anastasio Martyre fit Commemoratio tantum in Laudibus:

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Anastásii Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Et non legitur IX Lectio historica.

Die 28 Januarii

*S. CAROLI MAGNI IMPERATORIS

Fundatoris Episcopatus Osnabrugensis et Confessoris

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ supra 4*, habentur propria.

De S. Petro Nolasco Conf. fit Commemoratio in Laudibus tantum, ut supra 8*; de Festo secundo S. Agnetis Virg. et Mart. nihil fit. Pro Lectione IX sumitur sequens

Lectio ix

Et hic póssumus decem mnas decem verba intellígere, id est, legis doctrínam; quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legisperítum in ómnibus volo esse perféctum; non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt; non útique æris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniæ fœnebris, ália doctrínæ cæléstis usúra.

Te Deum laudámus.

Die 6 Februarii

S. AMANDI

Episcopi et Confessoris

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter ea, quæ hic habentur propria.

De S. Tito Episcopo et Confessore fit Commemoratio tantum in Laudibus (Ant. Sacérdos et Póntifex, ℣. Amávit eum e I Vesperis), et non legitur IX Lectio historica.

In Quadragesima dicitur IX Lectio de Homilia Feriæ currentis, et de ea fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice, et sancti tui Confessóris ac Pontíficis Amándi suffragántibus méritis perpétuæ vitæ prǽmia nobis benígnus concéde. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno Lectiones Fidélis sermo, de Communi.

In II Nocturno

Lectio iv

Amándus patre Seréno, matre Amántia fide et génere claris natus est in Aquitánia. Vix e puerítia egréssus, sanctióris vitæ desidério in monastérium ínsulæ Ogiæ se recépit; pater vero eum a propósito revocáre conátus est, minátus se eum patérna hereditáte privatúrum, nisi e monastério egrederétur. Ast generósus adoléscens, terrénam parvipéndens hereditátem, et Christo tantum militáre cúpiens, ut se a paréntum moléstiis immúnem rédderet, Turónes ad sancti Martíni sepúlcrum accéssit, ubi clericátus honórem adéptus, céteris ejúsdem loci mónachis prælucébat. Romam deínde proféctus, cum loca sancta religióse obivísset, in Gálliam divi Petri mónitu propagándæ fídei causa revérsus est. Quo vero majóre auctoritáte injúnctum sibi a Deo munus expléret, episcopáli órdine insignítus est, nulli tamen certæ sedi addíctus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Mox infidélibus, iis præsértim qui in Bélgio supérerant, Evangélium annúntiat. In Menapiórum et Gandavénsium regiónibus in primis obstitérunt gentes inveterátis erróribus addíctæ, a quibus incredíbiles calamitátes perpéssus, in flumen cum vitæ discrímine præcipitátus, a discípulis derelíctus, non déstitit ánimam pro frátribus pónere; omniáque tandem pervícit invíctus sancti Præsulis ánimus, cui étiam apud gentes conciliárunt ingéntem veneratiónem frequéntia mirácula. Dagobértum, Francórum regem, lúbricis amóribus prorsus déditum, pro múnere suo intrépide redárguit: quare in exsílium actus, áliis pópulis veram fidem prædicávit. Sed pœniténtia tactus, Dagobértus Amándum, anno salútis trigésimo supra sexcentésimum, cum honóre révocat, filiúmque sibi natum, quem Sigebértum appellávit, ab eo baptizári vóluit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Post hæc, cum Trajecténsium epíscopus, beátus Jóannes cognómine Agnus, felíciter ad Christum migrásset, Amándus a rege, clero et pópulo coáctus, Trajecténsem ecclésiam regéndam suscépit. Ad eum sanctus Martínus Pa-

pa misit acta sýnodi contra Monothelítas anno sexcentésimo quadragésimo nono Romæ celebrátæ, ut ab episcopis Galliárum in unum congregátis subscriberéntur, illum ínsuper monens, ut Sigebérto regi suggéreret de mitténdis Romam lectíssimis regni sui episcopis, qui legatióne apostólica fungeréntur ad imperatórem, éadem acta Constantinópolim delatúri. Interim in conversiónem infidélium divínitus accénsus, episcopátum Trajecténsem ábdicat, ac dénuo géntibus eruditéndis, déviis reducéndis, et in fide firmándis contínuo insístit. Plúrima monastéria utriúsque sexus vel ipse erexit vel ab áliis erécta dedicávit. Tandem víribus exháustus apud Pabulénses in Elnonénsi monastério, quod póstea ab auctóre suo dictum fuit sancti Amándi, plenus diérum et meritórum, nonagenárius in cælum transmigrávit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo péregre, de eodem Communi 1 loco.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriæ.

De S. Dorothea Virgine et Martyre nihil fit.

INDEX SUPPLEMENTI

	pag.
Amandi Ep. et Conf. 6 Februarii	32*
Barbaræ Virg. et Mart. 4 Decembris	26*
Canuti Regis, Mart. 19 Januarii	29*
Caroli Magni Imperatoris, Conf. 28 Januarii	32*
Jodoci Conf. 13 Decembris	27*
Vincentii Levitæ et Mart. 22 Januarii	31*

APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Osnabrugi, die 13 Augusti 1951

Nr. 178

† **Wilhelmus** Archieppus.
Eppus. Osnabrugen.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 20 Novembris 1951

Joseph Franz
Vic. Gen.

Ratisbonæ, typis Friderici Pustet